



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Amor quo erga Coadiutores afficiebatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

ex more complectebatur; aiebatque sibi quidem iucundissimum futurum fuisse, si venientibus abeuntibusque nostris signum aliquod ere datum fuisset, quo audito omnes ad ianuam descenderent, complectendi monstrandaque charitatis ergo. Singulari semper affectu (ut inter omnes constat) ferebatur in Fratres nostros Coadiutores, quibuscum magnâ quoque iucunditate versabatur. Nam cum ad alios indifferenter accederet, ad hos sub colloquendi horam se studio conferebat, quod cum illis pro suâ simplicitate candore que videretur liberiùs de cœlestibus rebus agere posse, sensusque in meditatione perceptos cum fructu effundere. Hos quoties vel eminus prætereuntes vidisset, statim nudato capite salutabat, et si inuicem illi longitudine interualli salutantem subinde non obseruarent. Ipsi verò, quod sancti cuiusdam Adolescentis opinionem de eo comprehendissent, & consuetudinem eius expetebant, & fidenter etiam ut cum eo loquerentur, ab eoque instruerentur, ad se inuitabant. Et quidem et si per concessæ collocutionis tempus fruendi eius copia defuisse, cum fortè ad obeunda diebus Festis tempora facultatem impenetrassent, Ioannem sibi comitem dari à Superioribus exorabant; atque ipse cubiculo euocatus, facilitate magnâ, ingenuaque charitate

H ritate

ritate eis obsequebatur; nec per viam, nisi diuinis de rebus, verba faciebat. Conspicatus aliquando collocutionis tempore, quemdam solitariè stantem, Patri cuidam quocum agebat, Quidni, mi Pater, ait, ad bonum illum Fratrem sine socio stantem, alloquendum recreandumque accedimus? Alias frequenter duobus simul Coadiutoribus visis, ipse tertium se admiscebat, officij præstandi causâ; aliorum suorum collegarum societate non inurbanè desertâ; qui studio eius approbato, mox ita inter se: *Fateri denique necesse est, Iuuenum hunc reuerà esse sanctum.* Dici non potest, quantâ eos charitate, cùm ægri essent, habebat. Sæpius visebat per diem, cælestibus, nec iniucundis colloquijs recreabat: æstate, feruentioribus horis, aquam eis è fonte recentem hauriebat, ori refrigerando propinabat, lauandis manibus affundebat; atque ut eorum corpora reficiebat aquæ recentis frigore, sic animos accendebat recreabatque ardente illâ charitate, quâ promptissime illis seruiebat. Diebus Veneris, quando Hortatio domi haberî solet, lubens à coenâ, quæ dicta erant, ijs repecebat; quotidie verò historiam aliquam de beatissimâ Virgine adferebat. Cumque illi exploratum haberent, quâ ferè horâ venire soleret, magno eius desiderio oppriebantur aduentum,